

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris  
Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] distibutiua & co[m]mutatiua si[n]t du[a]e spe[cie]s iustiti[a]e? 1

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

70 QVÆST LXI. ART. I.  
ea, in quibus subditur ei secularis potestas, vel que  
ei à seculari potestate relinquuntur.

Ad quartum dicendum, quod habitus scientiæ &  
iustitiae sunt perfectiones singularis personæ. Et ideo  
per eorum defectum non dicitur usurpatum iudi-  
cium: sicut per defectum publicæ auctoritatis, ex  
qua iudicium vim coactuam habet.

QVÆST. LXI.  
*De diuisione iustitia in commutatiuam & distribu-  
tiuam, in quatuor articulos diuisa.*

D Einde considerandum est de partibus iustitiae.  
Et primò de partibus subiectiuis, quæ sunt spe-  
cies iustitiae, scilicet distributiua & commutati-  
ua. Secundo, de partibus quasi integralibus. Tercio,  
de partibus quasi potentialibus, scilicet de vir-  
tutibus adiunctis.

¶ Circa primum occurrit duplex consideratio.  
Prima, de ipsis iustitiae partibus. Secunda, de vi-  
tis oppositis. Et quia restitutio videtur esse actus  
commutatiuæ iustitiae, Primò considerandum est de  
distinzione iustitiae commutatiuæ & distributiuæ.  
Secundo de restitutione.

¶ Circa primum queruntur quatuor.  
¶ Primo, vtrum sint duæ species iustitiae, scilicet ju-  
stitia distributiua & commutatiua?  
¶ Secundo, vtrum eodem modo in eis medium ac-  
cipiatur?  
¶ Tertio, vtrum sit earum uniformis, vel multiplex  
materia?  
¶ Quarto, vtrum secundum aliquam earum specie-  
rum, iustum sit idem quod contrappassum.

340 1. q. 21. a.

ARTIC. I.

1. 10. 2. et Vtrum conuenienter ponantur duæ species iustitiae,  
3. d. 33. scilicet commutatiua & distributiua?

q. 3. a. 4. A D primum sic proceditur. Viderur, quod in-  
q. 5. & A conuenienter ponantur duæ species iustitiae, ju-  
4. d. 46. stitia distributiua & commutatiua. Non enim po-  
q. 1. a. 1. test esse iustitiae species, quod multitudini nocet:  
q. 1. o. cùm

cum iustitia ad bonum commune ordinetur. Sed distribuere bona communia in multos, nocet bono communis multitudinis : tum quia exhauiuntur opes communes, tum etiam quia mores hominum corruptuntur. Dicit enim Tull. in lib. de Offic. \* Fit deterior qui accipit, & ad idem semper expectandum paratior. Ergo distributio non pertinet ad aliquam iustitiae speciem.

¶ 2 Præterea, iustitiae actus est reddere vniuersique quod suum est, ut supra habitum est †. Sed in distributione non redditur alicui quod suum erat, sed de nouo appropriatur sibi id quod erat commune. Ergo hoc ad iustitiam non pertinet.

¶ 3 Præterea, iustitia non solum est in principe, sed etiam in subditis, ut supra habitum est \*. Sed distribuere semper ad principem pertinet. Ergo distributiva non pertinet semper ad iustitiam.

¶ 4 Præterea, Distributuum iustum est bonorum communium, ut dicitur in 5. ethic. \* Sed communia pertinent ad iustitiam legalem. Ergo iustitiae distributiva non est species iustitiae particularis, sed iustitiae legalis.

¶ 5 Præterea, Vnum & multa non diuersificant speciem virtutis. Sed iustitia commutativa consistit in hoc, quod aliquid redditur vni; iustitia vero distributiva in hoc, quod aliquid datur multis. Ergo non sunt diuersæ species iustitiae.

SED contra est, quod Philosoph. in 5. ethic. \* ponit duas partes iustitiae: & dicit quod vna est directiva in distributionibus, & alia in commutationibus.

R E S P O N D E O dicendum, quod sicut dictum est \*, iustitia particularis ordinatur ad aliquam priuatam personam, quæ comparatur ad communitem, sicut pars ad totum. Potest autem ad aliquam partem duplex ordo attendi. Vnus quidem partis ad partem, cui similis est ordo vnius priuatae personæ ad aliam. Et hunc ordinem dirigit commutativa iustitia, quæ consistit in his quæ mutuo fiunt in-

\* 1. 2 pars  
lò a med.  
illius in  
c. Duplex  
liberati-

tatis ge-  
nus: c.  
Quatenq;  
ad conci-  
liandū,

c. c.  
9. 58. ar.  
11.

\* 1. 2. q.  
58. ar. 6.  
c. ar. 1.  
c. 5  
\* lib. 5. c.

2. circa  
fi. c. 3.

li. 5. c. 2.  
circa fin.  
tom 5.

9. 58. a. 8

72 ter duas personas ad invicem. Alius ordo attenditur totius ad partes. Et huic ordini assimilatur ordo eius, quod est commune ad singulas personas: quem quidem ordinem dirigit iustitia distributiva, quæ est distributiva communium, secundum proportionalitatem. Et ideo duas sunt iustitiae species, scilicet commutativa & distributiva.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut in largitionibus priuatarum personarum commendatur moderatio, effusio vero culpatur: ita etiam in distributione communium bonorum est moderatio seruanda, in quo dirigit iustitia distributiva.

Ad secundum dicendum, quod sicut pars, & totus quodammodo sunt idem: ita id quod est totius, quodammodo est partis. Et ira cum ex bonis communibus aliquid in singulos distribuitur, quilibet aliquo modo recipit quod suum est.

Ad tertium dicendum, quod actus distributionis, qui est communium: bonorum, pertinet solum ad praesidentem communibus bonis. Sed tamen iustitia distributiva est etiam in subditis, quibus distribuitur: in quantum scilicet sunt contenti iusta distributione. Quamuis etiam distributio quandoque fiat bonorum communium, non quidem ciuitati, sed vni familie: quorum distributio fieri potest auctoritate alicuius priuata personæ.

Ad quartum dicendum, quod motus accipit speciem a termino ad quem. Et ideo ad iustitiam legalem pertinet ordinare ea quæ sunt priuatarum personarum, in bonum commune. Sed ordinare est contrario, bonum commune ad personas particulares per distributionem, est iustitia particularis.

Ad quintum dicendum, quod iustitia distributiva & communicationis non solum distinguuntur secundum unum & multa, sed secundum diuersam debiti rationem. Alio enim modo debetur alicui id quod est commune, & alio modo id quod est proprium.

A R